



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 39. Concilium Ravennatense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

§. XXXIX.

Sæculum XI.

A.C. 1014.

Concilium Ravennatense.

Henricus Imperator Archiepiscopatum Ravennatensem Arnulpho fratri suo contulerat. Quia vero de possessione ei lis movebatur, ipsum iterum in Cathedram invehī, & in propria Ecclesia a Pontifice consecrari voluit. Econtra petebat, ut Adalbertus, illius Sedis invasor, de gradu Sacerdotali deiceretur, quem tamen, prudentum virorum consilio obsecutus, Ecclesiæ Ariciensī præfecit. Papa vero Episcopos quatuor ab Archiepiscopo Leone jam cæco ordinatos deposuit. *Ditm. p. 15.*

Arnulphus Neo-Archiepiscopus eodem anno millesimo decimo quarto, ultima die Aprilis, in Ecclesia Resurrectionis Ravennæ Concilium celebravit, cui interfuere Sigefridus Episcopus Placentinus, & complures alii Provinciarum Æmilianæ, Flamminianæ, & Pentapolitanæ. Ad Episcopos hujus Synodi delatum, quod vacante Sede Ravennatensi, nempe mensibus undecim ab obitu Frederici, anno millesimo tertio defuncti, multa & præter alia Ordinationes illicitæ atque Dedications Ecclesiarum contra Canones fuissent peractæ. Unde in prima Sessione statutum, ut omnes illegitime ordinati, usque ad accuratam

*tom. 9. Cont.
p. 833.*

Sæculum XI. causæ discussionem, suspensi essent. A.C. 1014. Altera die decrevit Concilium, ut in omnibus Ecclesiis & Sacellis ab Adalberto consecratis Sacra interdicerentur, & Benedictio illa nulla declararetur. Tertia die sub pœna anathematis omnibus illius provinciæ Episcopis prohibitum, ne Sacrum Chrisma venundarent, aut pretium pro commendatione animarum, vel sepulturis acciperent; tum omnia, quæ Gerbertus & Fridericus præceperant, confirmata. Item prohibitum, ne Archipresbyteri Benedictionem populo impertirentur, aut Confirmationem cum Sacro Chrismate conferrent, quod hæc ministeria solis Episcopis essent reservata.

§. XL.

S. Henrici Religio.

Ditm. p. 85. Cum Henricus Imperator in Italia versaretur, Episcopatum Bobiensem ex consilio illius provinciæ Episcoporum, qui id necessarium æstimarunt, instituit. Hic ille locus est, in quo S. Columbanus vitam posuit, & ubi servantur ipsius Reliquiæ. Imperator Festo Paschali, quod hoc anno 1014. in vigesimam quintam Aprilis inciderat, Ticini celebrato, iterumque superatis Alpibus, ad varias Ecclesias pietatis causa paucis comitantibus peregrinatus est. Interim Arduinus, qui se hucusque